1788 r. Dzierżanowski ks. Ludwik

Carmen Christophoro Hilario Szembek, episc. Plocensi

CARMEN

CELSISSIMO JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO

D. CHRISTOPHORO HILARIO

á SŁUPOW.

SZEMBEK

EPISCOPO PLOCENSI.
DUCI PULTOVIENSI.
ORDINUM AQUILÆ ALBÆ & S.
STANISLAI EQUITI.
SACRO NATALIUM DIE
á LUDOVICO DZIERŻANOWSKI
PRESBYTERO DIÆCESIS PLOCENSIS.
OBLATUM.

1788.

I. RADOMINSKI.

FErvida bella cano, dubiam ſortemque duelli
Lætitiam feſtivam inter, mæſtum atque dolorem;
Cujus origo, quietæ pacis amicus, & Auctor.
Chriſtophorus fuerat, dulci quò Plocia gaudet
Præſule, decretò demum rationis, utrinquè

Pacem initam, variosquè animos, post jurgia, longas
Et lites, stabili sociatos fædere tandem.
Phæbe fave cæptis, pro sacro culmine Cyrrhæ;
Perfacili fudisse modò, quin carmina possem.
Cernens, quam ignavum corrumpant otia corpus,
Tempora sint quamvis placidæ concessa quieti,
Dum relego tacitus mecum monumenta perennis
Famæ, quæ non imber edax, nec longa dierum
Consumet series, pretioso quippe labore
Perfectum Ciceronis opus, Musasque canentes
Demiror, placidoquè effictas murmure voces
Castalii fontis, sacri nemorisvè susurros;
Ecce mihi á longè gemitus lachrymabilis, aures
Obstrepit, & facilis flecti geminando dolorem,
Sylva fremit, repletquè suis singultibûs auras.
Obstupui, steteruntquè comæ, vox faucibus hæsit,
Et gelidus pavor ossa quatit, partesquè per omnes
Volvo oculos, quæ sit gemitûs ignarus origo,
Cujus? & unde sonet? casu parilique locatus
Làómedontiades Heros Patria exul ab Urbe
Ac olim fuerat, gressum dum sorte regente
Incidit in tumulum, (latuit Polidorus in illo

Tro-

Troianus, quondam jaculis confixus acutis)
Audiit, & tacitas voces, gemitusque sepulti.
Multa movens animó, pavidus, tremulusquè manebam;
Exitus ut scirem tandem quinam illc fuisset.
Cum subitò è sylvis macie confecta supremâ
Jgnoti nova forma viri, miserandaquè cultu,
Procedit gressu dubio, per colla capillis
Haud comptè passis, et salso — flumine ubertim
Liventes perfusa genas, suspiria ducens,
Et crebro ingeminans sociis singultibûs. Heus! Heus!
Contremui, retroquè pedem, lumenquè reflecto,
Devitoquè hominem propius me tendit at ille,
Exprobrat atquè fugam, nostris tu fletibûs (inquit)
Tangeris haudquidquam? non te suspiria? planctus?
Nonquè movent lachrymæ profusæ flumine largo?
Durè nimis, nimiumquè ferox! quæ te horrida rupes?
Quæ cautes genuère satum? Te quæro? quid ergo
Conspectum refugis? dixit: rursumquè gemebat.
Substo; & deposita tandem formidine, quæro,
Quis sit? quid doleat? tandem a me quidvè reposcat?
Est mihi conveniens nomen, (tunc ille reponit
Respondetque rei) Genitrix natura dolorem

Me

Me voluit, sed quid juvat hæc mea nomina nósse?
Quid doleam, o scires utinam! nec plura locutus;
Jmpedilt luctus vocem, crebriquè gementis
Singultus, tristi complèrunt áéra planctu.
Ast ego merentis tactus singultibûs, omnis
Jgnatusquè rei, fontem cupidusquè doloris
Noscere, secretum (verbis his hortor) hic omne
Evolvat, vulgetquè palam; jam arcana reclude,
Et tandem ignaro causam tui pande doloris,
Vis tibi compatiar? celas me arcana quid ergo?
Suspensumquè tenes fare eia, cupido sciendi
Est ignara moræ, tibimet fors displicet ipsi.
Jlle nihil, præterquam imó suspiria corde
Et salsam volvit lachrymam, Urgeo, flelibus eja
Pone modum, evolvas, flebo, comitemquè dolori
Me fidum jungam, lassum fletuquè levabo
Jpse dolore meo; placuit sibi prona voluntas,
Gratum testatusque animum, sic talia fari,
Vocibus innectens luctum; En tibi nuntius adsum
Tristis & infelix, vehemens mea verba còércet,
Refrænatquè dolor, gemitus crebèrquè loquelam
Obruit & linguam lachrymæ retinacula tardant,

Me-

Eloquar? an ſileam? votis felicibûs ecce
Chriſtophori, Sacrorum nempè Antiſtitis Almi
Annua lux remeat, cuncti ſua gaudia pandunt,
Et ſua Pontifici venerando vota reponunt.
Te ſibi devinctum cum tu benè noveris ipſe;
Quì potìs eſt igitur lingvam ſua verba relinquant?
Et velùt ingratum te nunc tua facta loquantur?
At timor officiô fungi vetat ipſe quietô,
Adde, quod innumeris maneas conſtrictus habenis
Quæ removent mentem, pateant munimina cordis:
Carmina proveniunt animô deducta ſerenô,
semper
Te variis miſerum ſors caſibûs urget,
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt,
Tu medios etiamnum inter verſaris Alumnos.
En igitur cauſam, en fontem, fomitemque doloris,
Hoc doleo, hoc unum me angit, gemituſquè amaraſquè
Eruit hoc lachrymas, luctus ſed verba recidit.
Flet rurſum, paulò poſt ſed converſus & ad me
Deìndè, memor fueris promiſſi, fle quoquè mecum,
Fletibûs & laſſum comitare, levaquè dolorem
Tu ipſe dolore meum, luctu cor deficit in me.
Dixit: & accedens propius, cor pulſat, ut illi

Quam

Quam primum pateat rupto munimine claustri.
Exit amor, reseratquè aditum, pronusquè dolorem
Excipit, hospitium præbet, quinimo supremum
Committit regimen, tetigit vix limina cordis,
Se regem Dominumquè dolor proclamat, & illud
Occupat ingenti fastu, obsessa arcequè, totum
Me regit, atque suo totum pro velle gubernat;
Servitus ista nimis dulcis, nimiumquè beata
Est fore visa mihi, quod caro Authore fuisset.
Flere jubet, volvo lachrymas, suspiria corde
Ducere, duco, imò & gemitus de pectore fundo,
Sæpius has iterans voces mihi plurimum amaras;
O dolor! o nimium mihi fata invisa dolenti!
Nil superest tandem, tristis dolor ipse remansit.
Clamor ad interea festus; clangorquè tubarum,
Insolitumquè fremit murmur, resonabilis echo
Æthera sublimis tangit, vocesquè canoræ
Svavisonum carmen modulantur, & hymnifer aures
Demulcet, pulsatquè lyram Phæbi æmulus almi.
Attulit ast nullum mærenti musica cordi
Lenimen, placuerè parum modulamina vocum,
Profuit haudquidquam cantus Cytharæquè loquacis

Sva-

Svaviſonus gemitus, gemitum non preſsit amarum;
Non lachrymas pacavit hymen, non flumina noſter
Fundere amara oculus tandem ceſſavit uterquè
Prodigus in luctum; Intereà, lætantibus aures
Jam facilis fortaſſe darem, ſonituìquè canoro,
Sed dolor obturat (feſtorum neſcius) aures,
Triſtibus impendens omnes niſi luctibus horas.
Diſplicet imparitas, varius ſibi diſplicet, atquè
Diverſuſquè animus, ſvavis naturaquè tota
Lætitiæ apparet mærenti inſulſa dolori.
Nunquam ſe Thetidi junxit Vulcanus amico
Fœdere, non Eurus Boreæ, non cerva leoni.
Ecce tibi tandèm levibus jam apparet in auris
Nympha roſæ ſimilis, narcyſſi quæ æmula caſti,
Caſtis Nympharum turbis circumundiquè ſepta.
Lætitiam agnovi feſtam fore protinûs illam,
Pulchrius haud texit veſtitum Chloris odorum,
Quô ſua prata nitent, quamvis pulcherrimus ille,
Ac illam natura parens circumundiquè formâ
Induit, & ſvavi totam perfudit honore,
Tota nitet facies, ridet frons neſcia ſulci,
Neſcit aquas lumen, gemitum non pectus amarum,

Ca-

Cæſaries palando fremit, gratèquè per ora
Ver ſplendet placidum, viridi de flore coronant
Serta caput, Phrygiumvè decus poſt terga renidet.
Omnia feſtivo apparent fore conſona plauſûi?
Hæc properans ad me, lætum pæana per auras
Occinit, argutæ ſvavi modulamine vocis.
Tum reliquæ dulcis cytharæ plectriquè; tubæquè,
Principis argutæ ſociant modulamina voci.
Perqué Polos reſonant, complent ac omnia plauſu.
Non ſecùs, ac hyblæ volucres ſtrepitantibûs alìs
Egreſſæ domibûs, matrem comitantur amatam,
Perquè volant campos, & dulcia pabula roſtris
Melito de flore legunt, vicinaquè grato
Murmurè, melle graves Mæandri littora complent.
Vel ſicut àériæ volucres poſt nubila tandem
Poſtquè minas cæli, rurſum jam ſole reducto
Textilibûs nidìs auſæ prodire, paternos
Pertæſæquè lares, lutó factoſve Penates
Lætantur; quatiuntquè auras ſtrepitantibûs alìs,
Aligerô, Matriſque legunt veſtigia greſſu.
Et poſtquam propius ſteterat demiſſa per auras.
Noſtrum ponè latus, lætas has promere voces;

En

En felix adſum fauſti tibi nuntia fati.
Cum autem conſpexit contractæ nubila frontis,
Suffuſas livore genas, ſuſpiria corde
Ducentem obſtupuit, tanti cauſamquè doloris
Educam latebris, poſcit, tum talibûs ad me:
Sume animos, nec te veſano trade dolori;
Non ego diffiteor, tibi certò plurima cauſam
Triſtitiæ parere, aſt non aſpernabère dictîs.
Paſſibûs ambigûis fortuna volubilis errat;
Alternis redeunt vicibûs gemituſquè, cachinni,
Luctibus in mediis naſcuntur gaudia, fatis
Sic placitum; nuper terram qui fidit arathrô,
En hodie magnis dat jura Quiritibus ille,
Et juga quæ tauris jam feſſis; feſſus arator
Demerat, imponit Gabiis, Curibuſquè gerenda.
Adſpicit ex altis opulentum Phoſphorus idem,
Quem viderat tenuem, atquè inopem rerum, Heſperus olim.
Hinc licet innumeris agitent te fata periclis.
Macte animo, idquè tibi celſa ſit mente repoſtum,
Quod vidua eſt virtus, quam non patientia firmat.
Pone modum lachrimis igitur, mentemquè ſerenam
Indue, grande nefas, vultus tunc ſumere acerbos,

Cum

Cum videas cunctorum animis excesse dolorem,
Quin potius festo resonantia pectora plausu.
Quod veró meritis videaris Præsulis impar
Laudibûs ornandis, minimè id te terreat, inquam,
Illum devincit fastosæ gloria laudis,
Qui Studió laudem, dubiosquè exposcit honores,
Ast quem fama satis dudûm toti extulit orbi,
Ut quoquè Roma suos Ei delegârit honores,
Hunc laudum titulis quisquis celebrare laborat,
Unum est, ac vellet Phæbi monstrare nitorem.
Non igitur laudes, sed votum promere fas est
Illud ego Pastori, & Duci summa merenti
Ipsa parabo tuo, carmen lætumquè sonora
Voce canam, sociæquè tubæ modulamina jungam,
Nestoreos vivat felix Antistes in annos;
Ad nutum Superi cuncta ejus vota secundent
Et nullis unquam fatis agitetur iniquis;
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ
Dignus, quem clarum clarè sua facta loquuntur.
Vix ea vox patulas pervenit amoris ad aures,
Protinus exsiliit, reserat munimina cordis
Exit in amplexum, atquè his tandem vocibûs ultró

Per-

Perplacide compellat eam, gratumque salutat;
O salve, salve, felicis nuntia fati!
Cor patet en nostrum hic hic eja exerce triumphos.
Ast ubi lætitiam festam conspexit amarus
Jntrojisse dolor, tota vi protinus illam
Arcet ab ingressu, paribûs — virtutibûs illa
Restitit ingenti nisu, conata vicissim
Pellere, & exiliò adversum mulctare dolorem.
Jus proprium ille citat, verum citat illa suummet,
Jlle sibi nostrum mavult cor, vendicat illa,
Est pariter victor, pariterquè est victus uterquè.
Cumquè diu exercet magnas discordia lites,
Ancipiti succensus amor dulcedine rerum,
Nunc modò lætitiam vellet, nunc porrò dolorem,
Hæredem stabilem cordis, dominumquè potentem,
Atquè animum nunc hùc celerem, nunc dividit illuc,
Jn partesquè rapit varias, perquè omnia versat,
Atquè bilanx veluti partes se librat in omnes;
Vel certè in bivio sistens Peregrinus, in oras
Jgnotas veniens, dubius stat, & anxius hæret,
Suspensumquè tenet passum; tum talibûs inquit:
Quis mihi nunc animus, quæ sit sententia menti!

Scio

Scit qui corda videt; Planè æqum cordis habetis

Jus idemquè mei, faveo propenſus utriquè,

Atque proin nuto noſtrum cor debeat utri

Cedere? quis potior veſtrum? quis jure ſecundus?

At, quodſi mea danda placent conſilia vobis,

Rumpite jam tandem lites, Rationis & omnem

Linquite Judicio cauſam, conceſſa poteſtas

Eſt illi ſuprema, ſupremo a Judice rerum,

Quippe Deo; Placuitvè ſtatim conſilium amoris, *

Contendunt celeri paſſu rationis ad arcem.

Arx, circumeſt muris, ſilvis circumundiquè ſepta,

Et ſuper excelſo ſublimis monte locata.

Lucida cryſtallus quâ ſplendent atquè feneſtræ,

Portaquè formoſum columen, turreſque ſuperbæ

Jngens conciliant robur ſimul atque decorem.

Hanc ſibi plus caram Ratio, ſedemquè quietam

Hic ſibi defixit, liteſquè hic rumpere ſvevit

Robore judicii, Judex decernere & æquum,

Huc veniunt; cultu obſervato, & judice prono

Exponunt cauſas dubias ſua juraquè ponunt,

Ju-

* *Deſcriptio ſedis animæ quæ juxta communem recentiorum ſententiam reſidet in parte calloſa cerebri*

Judiciumquè petunt; olim ac divina Propago
Pallas, Juno Venusque, foret pulcherrima quænam?
Judicium Paridis, ſuccenſa cupidine pomi.
Audiit; & poſtquam Judex multum hæſitat, atquè
Diſcutit ingenti cauſas utraſquè labore,
Jllaſquè agnoſcit pariles, conſurgit ab alto;
Talibûs & fatur: Sedi Arbiter, atquè labore
Rimabar cauſas, mea nunc decreta revelo.
Lœtitiæ ſiquidem quando hic ſunt omnia plena
Auſpiciis, feſtuſque aſſultat vocibus æther,
Jndignum eſt ſané jungantur triſtia lætis;
Cede loco veſane dolor, tantiſper & illum
Lætitiæ manda, fas eſt cor occupet illa.
Decretum placuit, lites omneſquè ſopitæ
Lætitiam feſtivam inter mæſtum atquè dolorem.